



1788, 2

11

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA  
 DE  
**DEBITIS FEVDALIBVS**  
 EORVMQVE EXORTO CONCVRSV  
 FEVDALI LOCANDORVM ORDINE.

---

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
 SERENISSIMO PRINCIPE AC

DOMINO

**CAROLO AVGVSTO**

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE  
 ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE  
 MARCHIONE MISNIAE REL. REL.

EX DECRETO ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

PRAESIDE

**IOANNE LVDOVICO ECKARDTO**

I. V. D.

H. T. ACADEMIAE PRORECTORE MAGNIFICO,

SERENISSIMO DVCI VINARIENSI ATQVE ISENACENSI A 'CONSILII AVLAE SE-  
 CRETIORIBVS IVRIS CANONICI PROFESSORE PVBLICO ORD. FACVLTATIS IVRE-  
 DICAE ET SCABINORVM COLLEGII ORDINARIO ET CVRIAE PROVINCIALIS  
 DVCALIS SAX. COMMVNIS ASSESSORE

PRO S V M M I S

IN VTROQVE IVRE HONORIBVS RITE CONSEQVENDIS

D. XXI. JVL. ANN. MDCCCLXXXVII.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXPONIT

AVCTOR AC RESPONDENS

**AVGVST. HENRIC. THEODOR. GELDERN**

EVRGKO - VARISCVE.

I E N A E,

EX OFFICINA MAVCKIANA.





DEBITIS ET DALLIS  
LONVONV EXORTO BONCVS  
LEVAT LOCADONV OVNIE

NECTORE AGATVNAE MNDV TONVMO  
SECTV OVNIO PVNIE AC

TO LONVONV MNDV TONVMO

EX DICTV MNDV TONVMO

TO LONVONV MNDV TONVMO

TO LONVONV MNDV TONVMO

TO LONVONV MNDV TONVMO

TO LONVONV MNDV TONVMO

TO LONVONV MNDV TONVMO

TO LONVONV MNDV TONVMO

TO LONVONV MNDV TONVMO

TO LONVONV MNDV TONVMO

TO LONVONV MNDV TONVMO

TO LONVONV MNDV TONVMO

TO LONVONV MNDV TONVMO

TO LONVONV MNDV TONVMO

TO LONVONV MNDV TONVMO

TO LONVONV MNDV TONVMO

TO LONVONV MNDV TONVMO





SERENISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO  
**FRIDERICO CAROLO**

PRINCIPI SCHWARZBURGICO,

E QVATVOR IMPERII COMITIBVS, COMITI IN HOHEN-  
STEIN, DYNASTAE ARNSTADII, LEVTENBERGAE, LOH-  
RAE AC CLETTENBERGAE, ETC. TERRARVM SCHWARZ-  
BURGICO - RVDOLPHIPOLITANARVM

HEREDI,

PRINCIPI AC DOMINO CLEMENTISSIMO,



HOCCE SPECIMEN ACADEMICVM

DEVOTISSIMAE MENTIS INDICEM

HVMILLIME

OFFERT, DEDICAT, CONSECRAT

NOMINIS INDVLGENTISSIMI

HVMILLIMVS ATQVE OBSEQVIOSISSIMVS

AVGVST. HENRIC. THEODOR. GELDERN.





## CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

- §. 1. *Quid patrimonium?*
- §. 2. 3. *Quomodo obligationes eius, ad quem spectat, illud afficiant?*
- §. 4. *Minus adaequate diuiditur in allodialia et feudale, hocque in liberum et fideicommissarium.*
- §. 5. *Quid debitum in genere?*
- §. 6. *Alia eaque prae usitata accuratior debitorum diuisio proposita.*
- §. 7. *Explicatio usitatae debitorum diuisionis in allodialia et feudalia, horumque in necessaria et subsidiaria.*
- §. 8. *Vtrum haec debitorum diuisio intuitu heredis vniuersalis in feudo et allodio plane inutilis?*
- §. 9. *An feudum hereditarium quoque debita allodialia afficiant?*
- §. 10. *Quid intuitu feudi alienabilis quoad debita allodialia obtineat?*
- §. 11. *Diuisio feudatium debitorum in legalia et consensuata.*





- §. 12. *Diuerſa diuiſionis debitorum feudalium in legalia et conſenſuata inque neceſſaria et ſubſidiaria ratio.*
- §. 13. *Ulterior debitorum feudalium legalium neceſſariorum diuiſio in generalia et ſpecialia, et quaedam regulæ ſ. axiomata iuris eorum cauſa obſeruandæ.*
- §. 14. *Subdiuiſio debitorum feudal. legal. neceſſariorum generalium in abſoluta et reſpectiua.*
- §. 15. *Ad debita legalia neceſſ. generalia abſoluta referuntur*  
1) *quæ in reſectionem aedium feudalium credita, hæc que doctrina expenditur.*
- §. 16. 2) *quibus feudum ab onere quodam legitimo liberatum vel iure quodam auctum, quod quouſque ſubſiſtat, examinatur.*
- §. 17. 3) *Salarium aduocati, cuius ſolertia feudum conſeruatum aut melius redditum, quæ ſententia æque examinatur.*
- §. 18. 4) *dos in feudum verſa, in cuius rationem inquiritur, et quatenus fundamento nitatur, euoluitur.*

§. 19.





- §. 19. 5) *collektae extraordinariae, quas huc non pertinere demonstratur.*
- §. 20. *Recensentur genuina debita feud. legalia necess. generalia eaque absoluta.*
- §. 21. *Enumerantur debita feud. legalia necess. generalia respectiva, a) quae vulgo perperam inter absoluta referuntur,*
- §. 22. *b) quae secundum communem DD. sententiam iis accensentur.*
- §. 23. *Explicatio debitorum feud. legal. necess. specialium.*
- §. 24. *Recensio debitor. feud. legal. subsidiariorum, quidque eorum intuitu observandum?*
- §. 25. *Transitus ad debita feudalia consensuata.*
- §. 26 – 31. *Illae, nisi consensus expresse ad anteriorem allodii executionem restrictus, esse debita feudalia necessaria, probatur.*
- §. 32. *Quaenam debita feud. consensuata pro subsidiariis habenda?*

§. 33.





- §. 33. *Quid iuris, si agnatus quidem, dominus autem minime in hypothecam feud. consensit?*
- §. 34. *Transitus ad debitor. feudaliū ordinem in concursu feudali obseruandum, cum quibusdam praemonendis.*
- §. 35. *Expositio huius ordinis.*
- §. 36. *Remouentur quaedam dubia.*
- §. 37. *Vtrum hypotheca feudalis domini directi consensu munita sit publica, an priuata?*
- §. 38. *Quid iuris intuitu usurarum in concursu feudali?*
- §. 39. *Conclusio.*







DE  
DEBITIS FEUDALIBUS EORUMQUE  
EXORTO CONCORSU FEUDALI  
LOCANDORUM RATIONE.

§. I.



**C**omplexus rerum, quas ea tenemus ratione, ut de earum usu disponere possimus, constituit cuiusvis *patrimonium*. Quarum rerum aliae pleno competunt iure, aliae limitato, prout nobis de earum usu disponere licet. Ne extra metam excurramus, missis aliis limitum speciebus, quibus patrimonium circumscriptum esse potest, subsistimus in ea, qua de ipsa  
A qua-





quarundam rerum substantia pro lubitu, de aliarum autem ita tantum, ut undique salva conservetur hocque modo olim in alium devolvatur, disponere possumus. Ad has bona fideicommissio obnoxia ut et feudalia esse referenda, inter omnes constat.

§. II.

Quatenus de patrimonio nostro disponendi facultate gaudemus, eatenus illud omnes afficiunt obligationes quocumque facto nostro sive licito sive illicito contractae; quatenus autem ista disponendi facultate caremus, eatenus obligatio facto nostro contracta illud afficere nequit: Quae quidem ex ipsa disponendi facultate fluere videntur. Non inficias imus, dari quoque obligationes sine facto nostro proxime ex lege descendentes, quae tamen patrimonium nostrum afficiunt; nec negamus, fieri posse, ut obligatio ex facto nostro resultans quoque ipsam afficiat patrimonii substantiam, cuius intuitu nulla, ne quodammodo periculosa quidem, multo minus perniciofa gaudemus dispositio-  
ne: sed illarum ratio est maxime specialis et varia, ita ut in nudis legum ea de re dispositionibus subsistendum, huius autem causa potius in consensu eorum, quorum interest, quam in facto nostro quaerenda.

§. III.

Inde recte inferimus: eam patrimonii nostri partem, quae nobis pleno competit iure, a quibuscumque obligatio-  
nibus



nibus ex factis nostris profluentibus affici ita, ut iis satisfaciendis infumenda sit; eam autem illius partem, cuius ratione nulla gaudemus de ipsa substantia in ejus detrimentum praesens vel futurum dispositione, ab obligationibus nobis incumbentibus eatenus tantum affici, quatenus de ea disponere possumus, nisi accedat aut lex, cujus iussu simul ipsa substantia afficitur, aut consensus eorum, quorum, illam non affici, interest.

§. IV.


Rectius igitur omne cuiusvis patrimonium divideretur in liberum et limitatum, hocque in feudale et fideicommissarium\*). Sed ICTis a longo tempore alia usuque fori inveterata placuit divisio, nimirum in *allodiale et feudale*, atque *allodialis in liberum et fideicommissarium*. Inde repetenda generalis bonorum divisio in *allodialia et feudalia*; quo fit, ut communis DDorum schola in explicatione fideicommissorum, maxime familiarium, quam plurima perverse ex doctrina iuris Rom. de fideicommissis, alia paulo rectius analogice ex iure feudorum petere soleat, quae vero omnia rectissime ex generalioribus de natura bonorum limitate competentium principiis, quae utrisque, et feudilibus, et fideicommissariis, communia, deducerentur.

A 2

§. V.

(\* Non enim semper et ubique bona fideicommissis gravata sunt allodialia, sed feudalia quoque illo possunt onerari, neque raro eo sunt onerata, imprimis in familiis illustrium et nobilium immediatorum.





## §. V.

Obligatio est necessitas agendi moralis, quae quatenus erga alium contrahitur, eo tendit, ut obligatus huic ad aliquid, aut rem, aut factum, praestandum teneatur. Obligationem, qua res quaedam praestanda, obligati afficere patrimonium, in aprico est; sed et obligationem ad factum quoddam praestandum directam illud afficere, vel inde facile patet, quod facto cessante alteri, cui debetur, id praestandum, quod eius interest, promissum praestari. Quicquid, quo obligationi satisfaciatur ex obligati patrimonio praestandum, id *debitum in genere* dicere, et pro varia, qua patrimonium ad inde satisfaciendum afficitur, ratione varie dividere solemus.

## §. VI.

Aliam in enumerandis debitorum speciebus rationem, ab usitata diversam, forsitan non sine fructu, iniremus, ni ab eo, quod diu a DDibus statuminatum atque in praxi receptum, nimis recederemus, ut periculum sit, ne rem dilucidius enucleaturi magis implicemus, quam explicemus. Attamen, quo tenderemus, brevissimis exponere, a Dissertationis scopo non alienum videtur. Debitum nimirum afficit vel cuncta debitoris bona, vel quandam tantum eorum speciem: illud *absolutum*, hoc *respectivum* non incongrue dici poterit. Absolutum cuncta bona afficit, idque vel nulla plane habita ratione ad eorum diversitatem, vel ea ratione, ut alteram speciem principaliter, alteram in subsidium h. e. alte-



tera demum cessante f. excussa, afficiat: illi nomen *absoluti simpliciter talis*, huic *absoluti secundum quid talis* indere audeamus. Respectivum contra afficit solummodo quandam patrimonii partem f. speciem, itaque vel bona libera, vel limitata tantum: illud *vulgare*, aut si mavis, *allodiale*, hoc vel *feudale* vel *fideicommissarium*, prouti nimirum vel feudalia vel fideicommissaria bona afficit, appellare liceat.

§. VII.

Sed, quod iam monuimus, nimis a divisionibus usque innixis principiis olim et hodie receptis secederemus, si istis divisionibus hanc, quam meditamur, commentationem accommodaremus, cui ausui rite vindicando multa essent praemittenda, quae tam his paginis comprehendi nequeunt, quam a themate nostro nimis remota. Subsistamus igitur in usitata debitorum divisione, qua sunt vel *allodialia*, *Erbschulden*, quae scil. patrimonium allodiale f. non — feudale afficiunt, vel *feudalia*, *Lehenschulden*, quae ex bonis feudilibus solvenda. Haec quidem feudum vel simpliciter, vel allodio demum deficiente, afficiunt: illa *necessaria*, haec *subsidiaria* audiunt, cuius divisionis rationem omnem in vario, quo bona diversa afficiuntur, modo esse positam, quilibet facile perspiciet.

§. VIII.

Ante vero quam ad ulteriorem debitorum feudaliū divisionem progredimur monendum, ea successore feudali





simul et in allodio succedente plane non opus esse. Quo scilicet casu heres succedit in omnia iura et obligationes defuncti; quemadmodum igitur hic ad debita a se contracta aut pro suis agnita ex cuncto patrimonio solvenda sine discrimine tenebatur, eodem modo et eius heres ad illis satisfaciendum simpliciter tenetur. Ita quidem DD communiter docent. Sed pace eorum asserere nobis liceat, utique quae iam vivo vassallo, de cuius hereditate et aere alieno quaeritur, inter debita feudalia et allodialia obtinuit, diversitatis ratio certe non minima, eandem et remanere intuitu heredis feudalis et allodialis simul. Inter omnes enim, qui iuris feudalis principia vel primis degustarunt labris, satis superque constat, debita vassalli allodialia solummodo feudi fructus, non aequae substantiam afficere, hincque creditores allodiales immisionem in fructus feudi quidem, minime vero in ipsam eius substantiam, multo minus ipsius feudi distractionem posse urgere. Interest igitur quam maxime et hoc casu, scire, quae debita sint feudalia, quae allodialia. Immo nec omnium feudalium intuitu idem obtinet, de quo vero infra commodiori loco verba facturi sumus.

§. IX.

Silentio hoc loco praeterire non possumus, quaestionem quodammodo spinosam, huc tamen maxime spectantem. Quaeritur nimirum, quid iuris ratione aeris alieni allodialis in feudo hereditario? D. D. iuris feudalis fere omnes, hoc casu debita allodialia simul feudum afficere ideoque






que ex eo prorata esse solvenda, docent \*). Pro huius sententiae fundamento allegant, quia in feudum hereditarium iure succedatur allodiali. Quam vero causam ad firmandam hanc communem D. D. sententiam mihi quidem non fatiscere, diffiteri nequeo. Notissima est sensus, quo feudum occurrit hereditarium, varietas \*\*) quam et hac in parte iura feudalia quodammodo turbasse putem. Confundunt nimirum D. D. in primis antiquiores, feudum hereditarium cum alienabili, quae tamen feuda inter se quam maxime differunt. Illud enim nullo ad alienandi facultatem habito respectu tantum in ordine successione a communi feudorum natura recedit et in locum feudalis substituit allodiam; hoc vero sine ullo ad successione ordinem respectu solum sine domini consensu potest alienari. Itaque feudum hereditarium est, in quod succeditur secundum ordinem succedendi, qui in allodiis obtinet s. cuius intuitu obtinet ordo succedendi allodialis. At enim vero quaeso, quomodo a solo succedendi ordine allodiali ad alios successione allodialis effectus tuto concludere possumus? Tritissima est iuris feudalis regula, exceptiones a feudi proprietate ita semper esse interpretandas, ut, quam minimum fieri potest, ab

\*) Struv. S. J. F. Cap. 14. aphor. 1. 2. Tit. 1. c. Cap. 18. §. 7. Fleischer l. c. C. 20. §. 1. Wolf l. c. Cap. 15. §. 2. Hellfeld l. c. §. 443. perill. Boehmer l. c. §. 312.

\*\*) De qua ex instituto erudite egit Gottfr. Lud. Mencken progr. de logomachis et deffensionibus iuris feud. interpretum circa divisionem feudorum in hereditaria, atque ex pacto et providentia talis. Lips. 1712. fol. recuf. in Jenichen thesauro iur. feud. Tom. II. Num. 32. pag. 711 sqq.





ab hac recedatur. Cur igitur hac in re simus tam liberales? \*\*\* Quae cum ita sint, a vero me non aberraturum fere confido, si et in feudis hereditariis debitorum diversitatem spectandam, nec allodialia sine discrimine ex illis solvenda esse contendam. Superest, ut, qua ratione thesis impugnata diverforum feudi hereditarii conceptuum confu- sioni suos debeat natales, demonstrẽm. Quippe feudum, quod et hereditarium et alienabile simul, D. D. dicunt mere hereditarium, hujusque intuitu vasallo amplior, illud debitis onerandi, est facultas, neque casum animo nobis facile concipere possumus, quo in eiusmodi feudum alius, quam qui simul est heres in allodio, succedat, nisi ponas, aut illud alii esse legatum, quo vero casu successor in feudo cen- setur iure legatariorum, aut in eo successionem quidem ob- tinere allodiam, at modo tantum restricto, cujusmodi feu- dum hereditarium noviores mixtum solent appellare, quam tamen differentiam admodum momentosam antiquorum, quippe in feudo hereditario successionem allodiam simpli- citer obtinere statuentium, vix quisquam curavit. Inde fieri non potuit, quin heredem allodiam simul in ejus- modi feudo succedere sibi persuaderent, quibus positus ipso- rum ordinem successionis allodialis cum iure successionis allodia- lis confundentes putasse, aes alienum allodiale simul afficere feudum hereditarium, cui mirum videbitur?

§. X.

\*\*\* Simili argumentandi ratione usus est Deinlin in *diff. de exclusione fisci a successionem in feuda mere hereditaria*. *Altd.* 1741. ap. Jeni- chen l. c. Num. 34. pag. 741, sqq.



## §. X.

Perplexior anteriori haec est quaestio, quid de feudo alienabili videatur? vtrum nimirum in eo omnis respectus cesset ad debitorum diversitatem, necne? Cessare cenfeo. Quotiescunque enim aes alienum contrahimus, toties patrimonium nostrum noua oneramus obligatione, quatenus nimirum illud nostrae subest dispositioni (§. 3.). Iam feudum alienabile s. cuius vel ipsa alienatio pendet a nostra voluntate, sine dubio nostrae subest dispositioni. Ergo et aes alienum, quod contraximus, illud afficit. Quibus positis et, ut nobis quidem videtur, ponendis, vix in ambiguo verfabitur, debita quaecunque, et feudalia cuiuscunque generis et allodialia, ex feudo alienabili esse praestanda, siue debitor ipse, siue eius heres quicunque eorum causa conueniatur \*).

## §. XI.

Sed e diuerticulo reuertamur in viam, quam ambulare nobiscum constituimus. Dispescuntur nimirum debita feudalia quoque in *legalia et consensuata*, quorum scil. illa sunt, quae ex legis dispositione, haec, quae ob eorum, quorum interest, consensum ex bonis feudalibus soluenda; cuius di-

visio-

\*) Consentit dispositio Ord. Proc. El. Sax. rec. ad Tit. 40 §. 3. verb: *sowohl auf diejenigen, darüber den Besitzern frey zu disponiren und solche zu veräußern nachgelassen.* Idem disponit Ord. Proc. Altenburg. rec. P. I. C. 36. §. 9. Ord. Proc. Goth. nov. P. I. C. 36. §. 7.





uisionis ratio ab ea, cui diuisio ante (§. 7.) proposita innitur, quam maxime differt, dum, vt diximus, ista a modo, quo feudum ab istis debitis afficitur, haec autem a causa, sic dicta *efficiente* repetitur. Hinc concipere nobis possumus et debita feudalia legalia, tam necessaria, quam subsidiaria, et debita feudalia consensuata, tam necessaria, quam subsidiaria, neque imaginarios hos esse conceptus, ex infra deducendis luculenter apparebit.

### §. XII.

Altera debitorum feudalium diuisio, qua nimirum sunt vel legalia vel consensuata, profluit *ex causa*, ob quam ex bonis feudalibus sunt soluenda; (§. 11.) altera, qua in necessaria et subsidiaria dispeſcuntur, descendit *ex modo*, quo debita feudalia ex bonis feudalibus debent praestari (§. 7.). Hinc debitorum feudalium naturam explicaturum, in cuiusvis debiti et causam et modum inquirere adeoque determinare oportet, cuiusmodi speciei respectu vtriusque diuisionis sit accensendum. Quam ob causam hanc explicationem suscipientes rite nos processuros confidimus, si quatuor horum debitorum constituamus classes, quarum prima *legalia necessaria*, secunda, *legalia subsidiaria*, tertia *consensuata necessaria*, denique quarta, *consensuata subsidiaria*, recenserebimus.

### §. XIII.

- \*) Erronea igitur est diuisio debitorum feudalium in necessaria et subsidiaria, horumque in specie in legalia et consensuata. Hellfeld. Elem. iur. feud. §. 437. edit. noviss. hacque non melior illorum diuisio in *necessaria*, *subsidiaria*, et *hypothecaria*. Fleischer instit. iur. feud. Cap. XX. §. 2.






## §. XIII.

Debitalia feudalia legalia necessaria sunt, quae ex legis dispositione feudi substantiae inhaerent ideoque cum feudo in quemvis eius possessorem transeunt (§§ 7. II.), quam dispositionem legalem ex duplici fonte repetimus, nimirum aut ex lege naturali a iure quoque positivo agnita, ne scilicet quis cum damno alterius fiat locupletior s. ex versione in ipsum feudum, aut ex legibus specialibus hoc illud debitalium feudale praeter versionem cuique successori sine respectu ad allodium iniungentibus. Debitalia, quae ex priori fonte profluunt, *feudalia legalia necessaria generalia*, quae vero ex fonte posteriore derivanda, *feudalia legalia necessaria specialia* appellare nobis liceat. Nec quatenquam in dubium vocaturum confidimus, quam stabilimus, regulam: *Debitum feudale legale necessarium non esse, quod neque in ipsam feudi substantiam versum, neque a quolibet feudi Successore vi legis specialis simpliciter solvendum. Cui simul aliam non minus indubiam subiungimus: Debitum feudale legale necessarium generale eatenus tantum subsistere, quatenus successor ex versione cum damno creditoris locupletior esset existiturus, nisi refunderet lucrum ipsi cum feudo obueniens.* Addimus tertiam his non abfimilem: *Debitum feud. legale necessarium speciale ultra claram legis dispositionem non esse extendendum.* Omnes hae regulae nituntur in debitorum feud. legalium necessariorum causis efficientibus et brocardico: cessante causa et cet. s. axiomate iuridico: cessante legis ratione, cessat ipsa legis dispositio; cui quoad tertiam accedit regula iuris:

B 2

quod





quod contra rationem iuris receptum est, non est producendum ad consequentias \*).

§. XIV.

Fieri potest ut id, quod in feudum verum, aut quibuscunque successoribus sit utile, aut alteri tantum utilitatem praebeat, alteri non praebeat. Quia vero successor feudalis ex versione solum eatenus ad aes alienum ex feudo solvendum tenetur, quatenus sine eius refusione locupletior esset existiturus, ideo debitum feudale leg. necess. generale iterum duplici modo diuiditur in *absolutum*, quod cuilibet successoris proficuum, et *respectivum*, ex quo solum in quosdam successores utilitas redundat.

§. XV.

Praemissis hisce notionibus iactisque fundamentis recensum dabimus *debitorum feudalium legalium necessariorum generalium*, et primo quidem eorum, quae ad *absolute talia* plerumque referuntur. In quibus sunt 1) debita in refectionem aedium feudalium credita. Prouocant quidem DD pro munienda hac sua sententia ad c. si vassallus 2. F. 28. cuius autem fundamentum nobis ibi reperire non licuit. Caput successoris in feudo intuitu aedificiorum aucto vel meliorato solummodo iniungit alternis vicibus, aut debiti in augmentum vel meliorationem impensi solutionem, aut vt augmenta melioramentaue auferri patiatur. Lubentes qui-

\*) L. 14. D. de LL.



quidem concedimus, hac optione successorem facillime in fraudem creditoris abuti posse, nec illi manifestum eius abusum, si scilicet augmentis aut melioramentis aedificiorum commode carere nequeat, esse concedendum; sed haec tanti non sunt, ut illum hoc optionis iure simpliciter priuemus, eamque ipsi denegemus, si deficiat utilitas in ipsum ex eiusmodi meliorationibus redundatura aut sit quodammodo dubia. Rectius igitur debita in aedificationem aut refectionem aedium feudalium impensa eatenus tantum inter debita feud. legalia necessaria generalia absoute talia referimus, quatenus quilibet successor feudalibus illis aedificiis carere nequit eaque quilibet manifestam praebent utilitatem. Quod si enim utilitas non manifesta, successoris competit optio modo memorata, qui meliorationes, quatenus salua fundi substantia fieri potest, auferri passurus liberatur ab onere solutionis debiti in illas impensi: sin autem iisdem carere aut earum separationem a fundo pati nolit, debitum huius causa suscipiendum non est absolute, sed respectiue necessarium, respectu nimirum ad vasalli successoris optionem. Caeterum hic monendum, iure feudali Sax. haec omnia cessare, quia hoc iure aedificia eorumque augmenta et meliorationes simpliciter accedunt fundo feudali, nec a successoribus, neque domino, neque agnato aut simul inuestito, restituntur. Itaque iure feud. Sax. hoc debitum feudalium numero plane excidit.\*)

B 3

§. XVI.

\*) Quod et iure feud. Longob. iuris dubii fuisse patet ex c. si vasallus 2 F. 28. in fine. quam ob rem non est, ut ius feud. Sax. peculiaris duritiei hae de re accusemus.





## §. XVI.

Dein debitis feudalibus legalibus necessariis generalibus absolutis accensentur 2) ea, quibus feudum aut ab onere quodam legitimo s. quod alio modo auerti non potuit, liberatum aut iure quodam auctum. Sed nec eiusmodi debita pro necessariis generalibus absolutis habemus: potius et hic optionem successori competere contendimus.\*) Si enim successor commodo eiusmodi debitis comparato renunciat, cessat horum soluendorum ratio, quia scilicet cum damno aliorum non fit locupletior (§. 13) hinc et legis cessat dispositio. Fraudibus quidem successorum, quorum utilitas oneri debitorum sufficiens extra omne dubium posita, nequiquam esse favendum, nulli negamus; sed fraudes non praesumuntur, ideoque, si utilitas altioris indaginis, successori optionem non esse denegandam putem. Itaque et huiusmodi debita eo tantum casu, quo aperta est successoris illis comparata utilitas, ad legalia necessaria generalia absoluta referenda, si secus, legalibus necessariis respectivis annumeranda esse censeo.

## §. XVII.

Tum pro debito feud. legali necess. generali absoluto plurimi DD. venditant 3) salarium vel honorarium advocati, cuius doctrina et solertia feudum aut conservatum, aut

\*) hoc ipsum cap. Si vasallus 2. F. 28. innuit in verbis: *idem dico, si pretio servitutem feudo acquirat.*



aut melius redditum. \*) Attamen impensae ad rei conseruationem erogandae secundum legem naturae, qua commoda cuiusque rei eum sequuntur, quem sequuntur incommoda et v. v. incumbunt ei, qui fructus inde percipit, id quod in vasallum eo magis cadit, quo magis ad saluam feudi substantiam seruandam vi vasallagii obligatus, sicque feudum conseruando nil de suo impendit, cuiusque causa heredes eius allodiales a successore feudali petere possint indemnitate. Neque rem quandam conseruando eam meliorem reddimus; si vero feudum in melius haud mutatum, successor, praeter id, quod ipsi jure perfecto debetur, nil consequitur ideoque solutionem eius, quod in conseruationem erogatum, negans non sit locupletior cum damno alterius. Quam ob causam quoad impensas litis in feudi conseruationem factas ne iis quidem accedere possum, qui illas pro debito feud. legali necess. generali respectiuo habent, \*\*) immo potius ex debitorum feudalium numero plane eliminandas esse puto. \*\*\*)


Quod vero attinet ad aduocati salarium s. honorarium, ob litem, qua feudum melius redditum, id neque ad debita feud.

\*) Hellfeld l. c. §. 436 qui tamen parum sibi constans §. 471. Titius in teutschen Lehnrecht. Cap. 18. §. 19. Wolf. Elem. iur. feud. Cap. 15 §. 5. Fleischer, Instit. iur. feud. Cap. 20 §. 4. Horn Jurisprud. feud. Cap. 21 §. 5.

\*\*) Böhmer. Princ. iur. feud. §. 318.

\*\*\*) Nec rerum iudicatar. auctoritate hac in re destituimur vid. Hanac. ad Horn. iurisprud. feud. Cap. XXI. § 5, ad verb. *Salarium aduocati*. Puffendorf. Tom. II. Observ. 123.





feud. legal. general. necessar. neque ad respectiva generatim potest referri. Vt hac in re accurate procedamus, silere non possumus, divisionem litium, quarum causa advocatus salarium ex feudo petere potest, in eas, quibus feudum conservatum, atque eas, quibus melius redditum, rem non exhaurire. Quid enim iuris intuitu litis, qua feudum ab alio possessore vindicatum, quam neque ad illas, neque ad has commode referre possumus? Hinc ita potius distinguendum existimamus: Advocati industria feudum aut est conservatum, quo de casu satis iam egimus, aut comparatum, idque vel integrum, vel tantum quoad partem quandam eamque quantam s. accessoriam. Si illud, advocati salarium est solummodo debitum legal. necess. generale respectivum, iis scil. tantum incumbens successoribus, qui commodi successionis ex ista lite fiunt participes. Fieri enim potest, fitque interdum, vt eiusdem litis adversarius sit vel ipse dominus, vel agnatus successionem sibi delatam injuste et praepostere praetendens, cui itaque postea suo ordine succedenti istud litigium olim multo magis obsuit, quam profuit. Quis igitur hoc casu advocati salarium successori imponat? Quoad lites, quibus ipsi feudo nova accedunt commoda emolumentaue, ulterius distinguere debemus inter illas, quibus commoda quibuscunque successoribus proficua comparata, et inter illas, quibus parta emolumenta s. accessiones contra eos, qui ipsi aliquando in feudo succedere possunt. Sic mediante litigio cum ipso feudi domino hoc ex proprio improprium, veluti ex masculino femininum, ex servitiis onerato francum etc. fieri potest. Quis autem ex eiusmodi



di lite aduersarium aliquando in feudo succedentem locupletio-  
riorem fieri asserat? Hinc quoad lites prioris generis ad-  
uocati salarium ad debita feud. legal. necess. general. absolu-  
ta, quoad lites posterioris generis autem illud ad debita feud.  
legal. necess. gen. respectiua referimus.

§. XVIII.

Porro debitis feud. legalib. necess. absolutis generalibus  
annumeratur 4) dos in feudum versa ita quidem, ut succes-  
sor teneatur aut ad eam restituendam, aut ad dotalitium  
eius causa praestandum \*). Immo plurimi D. D. vsque eo  
fauent huic debito, vt nec versiois probationem viduae  
incumbere, sed solius illationis demonstrationem sufficere con-  
tendant \*\*). Quia vero a successore feudali soluendae dotis aut  
praestandi dotalitii alia non est causa, quam quia ille solutio-  
nem aut praestationem denegans cum damno viduae fieret  
locupletior, necesse est, vt et inde successor vere locuple-  
tetur, idque ipsi, si neget, legitime probetur; quod et ante  
nos iam alii cordatiores Icti monuerunt\*\*\*). Immo ne so-  
lam quidem versiois, sed et vtilitatis exinde in successo-  
rem redundantis probationem viduae incumbere, ex ipsa  
huius debiti ratione prono, vt dicunt, alueo fluere vide-  
tur. Tenetur enim successor solum in tantum, in  
quantum ex dotis versione maiorem, quam quae sine illa  
ipfi

\*) Struv. Synt. feud. Cap. 14. aph. 9. Horn. l. c. §. 7. Titius l. c. §. 21.

\*\*\*) Tit. l. c. §. 23. Pistor. Lib. 1. qu. 4. n. 16. Carpzov, Lib. 4. Resp. 57.

\*\*\*\*) Horn l. c. Hellfeld l. c. §. 409.





ipſi obtingere poſſet, percipit vtilitatem (§. 13.). Nec minus ex meliorationum §§ 15. 16. prolatarum analogia argumentamur, ſucceſſori quoque competere optionem, vtrum, quod ex dote in feudo melioratum, ſi commode ſeparari poſſit, auferri, an eo vti malit, quo poſteriore demum caſu ad ſatiſfactionem viduae eo nomine praeftrandam tenebitur. His rite perpenſis ſucceſſoris obligationem ad dotem reſtituendam aut dotalitium praeftrandum eandem eſſe, quam §§ proxime antecedentibus explicauimus et debitum inde reſultans pro modo verſionis in feudum eſſe poſſe tam neceſſ. abſolutum, quam reſpectiuum, planum erit atque perſpicuum. Vix eſt, vt moneamus, hic nobis non eſſe ſermonem de dote vel dotalitio conſenſu feudali munita, nec de ſucceſſoribus feudalibus ſimul allodii hereditibus, ſed de dote conſenſu non munita deque ſucceſſoribus mere feudalibus.

### §. XIX.

Denique ad debita feudalialia legal. neceſſ. abſoluta multi DD. referunt 5) collectas extraordinarias ob calamitatem publicam vaſallis ratione feudorum impoſitas.\* Equidem ſat firmum huius ſententiae fundamentum nuſpian inuenio. Ipſum enim feudum collectis, ſiue ordinariis, ſiue extraordinariis, melius non reddi per ſe patet; ideoque pro debito feudali legali neceſſario et quidem generali abſoluto haberi nequit. Nec quiſquam inſicias ibit, nulli ſucceſſorum eiusmodi collectas eſſe vtilitati ſ. vnde ipſi prouenire commodum,

\*) Carpoz de oneribus feudi. Dec. 4. Poſ. 10. Titii *Lehnrecht* Cap. 18 §. 44.



dum, cuius restitutionem heredibus antecessoris allodialibus denegans cum damno illorum fieret locupletior; ergo nec debitum feud. legale necess. generale, ne respectuum quidem constituunt. Itaque generatim negamus successorum feudaliū, quā talium, obligationem et absolutam et respectuam ad huiusmodi collectarum solutionem ex causa versionis in feudum s. qualitatem debitorum feud. legal. necessarior. generalium, quamquam facillime concedamus, ipsis qualitatem debitor. feud. legal. necess. specialium et tribui posse, et subinde tribui.

§. XX

Quae huc usque protulimus perlustrato haud erit per sepectu difficile, debitorum feud. legal. necess. generalium varia pro absolutis venditari, quae tantummodo sunt respectiue talia. Per pauca nimirum ex iis, quae schola communis pro absolutis habet, ad lapidem Lydium reuocata notioni absolutorum datae conueniunt, quae, quo vno obtutu conspiciantur, summatim repetamus. Eo nimirum pertinent 1) debita in refectionem aut exstructionem aedium, quibus successorum nemo potest carere, versa, quatenus successori adhuc sunt utilia (§ 15); 2) debita, quibus feudum aut ab onere quodam legitimo liberatum, aut iure quodam nouo auctum, quatenus successori haec liberatio accessione actuale praestat utilitatem (§ 16); 3) Salarium s. honorarium aduocati ob litem, qua feudo accessio successoribus quibuscunque proficua comparata (§ 17); 4) dos viduae antecessoris ita in feudum versa, vt quilibet successor

C 2

cum





cum eius damno fieret locupletior, ni dotalitium eam ob causam praestaret, aut dotem saltim pro ratione vtilitatis in ipsum inde redundantis restitueret. (§ 18). Haec quidem examine instituto remanent ex iis, quae vulgo pro debitis feud. legal. necessar. general. absolutis habentur; sed caue putes, praeter haec nulla dari: immo potius quotiescunque debitum quoddam ita in feudum versum, vt quilibet eius successor eius solutioni se subtrahens cum damno creditoris fieret locupletior, toties adest debitum in hanc classem referendum (§. 12. 13.). Sic expensae iudiciales in causa feudali cuiusque successoris proficua sine dubio non minori iure, quam aduocati salarium eius causa praestandum, in hunc censum veniunt, et quae sunt plura.

#### §. XXI.

Ordo nunc tangit recensum *debitorum feud. legal. necessar. general. respectiuorum*, eorum quippe, quae non cuiusque successoris, sed tantum quibusdam ob versionem in feudum incumbunt; quo pertinent 1) debita versa in aedificia feudalia, quibus successor commode potest carere, quibus tamen vult uti, aut quorum quidem separatio a feudo salua eius substantia fieri posset, quam autem iniuste prohibet; 2) debita in liberationes feudi ab oneribus legitimis aut in acquisitiones feudum ipsum augentes impensa, quatenus eiusmodi liberatio aut acquisitio parum aut nihil prodest successoris, hic autem eas retinet nec earum separationem a feudo, quanquam hoc saluo fieri posset, permittit; 3) Salarium  
f. ho-



f. honorarium aduocati ob litem feudalem, qua successori obigit vel feudum totum, vel quaedam eius accessio eaque respectiua f. quae successori quidem, sed non omnibus, ad quos successio aliquando peruenire potest, lucratiua; 4) dos vel dotalitium viduae antecessoris, dote nimirum eo modo in feudum versa, vt stet penes successorem, vtrum meliorationes pecunia dotali comparatas retinere sibi que appropriare, an salua feudi substantia iterum auferri sinere velit, isque mauult retinere prohibetue separationem feudo innocuam. Haec quidem, vt ante diximus, debitis feudilibus leg. necess. general. absolutis plerumque annumerantur, sed vere esse tantum respectiua euicimus. Addamus nunc ex reliquis respectiuis praecipua.

#### §. XXII.

Praeter debita feud. legalia necessaria, et quidem generalia eaque respectiua, spha antecedenti enumerata, in horum censum veniunt quoque 5) debita, quibus feudum emtum alioe modo comparatum. Dominum enim aut agnatum vel simul inuestitum, quibus ius succedendi in feudo non ex persona acquirentis competit, sed est aliunde quae situm, eiusmodi acquisitione aereque alieno, quo facta, non fieri locupletiores, in aprico est positum, ideoque illo tantum ii, quibus prodest, h. e. qui ex persona acquirentis ad successorem perueniant, possunt onerari. Quoad dominum fere omnes feudistae nobiscum conspirant, excepto





Titio, \*) hac imprimis ratione ita sentiente, quia acquisitio feudi isto aere alieno facta ipsi profuisset ad aperturam. Quis autem non miretur Ictum tam sagacem in errorem manifestum dubio adeo leui prolapsum? Quia ratione euinci poterit tempore aperturæ feudi aere alieno comparati, numne citius apertura contigisset, si alius sua ipsius pecunia et sine aeris alieni subsidio præ defuncti vasalli primo acquirente feudum acquisiisset? Hinc commodum ex primi acquirentis aere alieno in feudi acquisitionem impenso ex mente Titii in dominum redundans, certe incertissimum est ac plane imaginarium. Haec quidem de domino: sed fieri quoque potest, ut vasallus in feudo succedat, qui ad suscipiendum aes alienum ad feudi acquisitionem contractum minime tenetur. Fingas modo feudum cum domini quidem, sed minime agnatorum consensu esse alienatam, illudque extraneum partim sua, partim aliena pecunia comparasse, sed extincta alienantis familia feudum ab agnatis reuocari, quo casu hi nil commodi ex isto aere alieno percipiunt, ideoque ad eius solutionem, quia ex eo locupletiores non fiunt, nullo iure obligantur (§ 13): quam ob rem, quod etiam quoad vasallos successores aes alienum ad feudi acquisitionem conflatum sit debitum feud. legal. necess. generale respectuum, nemo inficias ibit. Idem quoque obtinet 6) ratione residui feudi pretii, ut et 7) intuitu residuae quantitatis feudalis s. pecuniae ex feudo coheredi agnato vel simul inuestito pro abdicatione iuris in feudo compet-

\*) im teutschen Lehnrecht, Cap. 18. §. 20.



petentis soluendae, germ. *Abfindungsgelder*, nec minus 8) ratione pecuniae feudalis s. eius quanti, ad quod pacto iura agnatorum simulque inueffitorum in feudo sunt restricta; germ. *Lehenflamm* \*\*).

### §. XXIII.

Progredior ad *debita feudalia legalia necessaria specialia*, quae quidem aequae ac generalia diuidi possent in absoluta et respectiua, sed sine fructu, alia enim non noui, quam absoluta s. quae cuilibet feudi successori ex speciali legis dispositione incumbunt. Quorum quidem debitorum iure feudali communi ob defectum legum feudaliu, quibus inniterentur, dantur nulla, (§. 13. Reg. 1.) secundum iura feudalia specialia autem perpauca: Ne tamen putes, plane nulla inueniri, prouoco ad ius feud. Saxonicum Electorale, quo pecunia ad dotationem filiarum aut fororum uasalli mutuata, a successoribus quibuscunque simpliciter et sine ullo ad alodium respectu praestanda \*). Pari modo iure feudali Pomeranico ipsum dotandi onus cuilibet successori in feudo incumbit \*\*), sicque in iuribus feudorum specialibus plura inuenies eiusmodi debita feud. legal. necess. specialia. Vbi autem huiusmodi debita lege determinata sunt, ibi obtinet regula 3. supra (§. 13.) euicta.

### §. XXIV.

\*\*\*) Conf. ill. Püttmanni Obseruat. feud. Cap. 13. ubi differentias pecuniae feudalis ab eius affinis egregie expoluit.

\*) Carpoz. Lib. II. Contlit. 46. Def. 13.

\*\*\*) Engelbrecht introduct. in ius feudor. Pomer. Succ. Cap. 11. §. 3.





## §. XXIV.

Sequuntur *debita feudalia legalia subsidiaria* (§. 12.) quo iure feudali communi, s. quod verius, secundum leges et mores quam plurimarum curiarum feudali<sup>m</sup> \*), referunt 1) dotem filiarum vasalli \*\*) 2) debitum eius causa contractum \*\*\*) 3) alimenta vasallis ad succedendum inhabilibus praestanda †) 4) legitimam filiarum ratione eius, quod earum pater in feudum nouiter acquisitum ex bonis impendit allodialibus, 5) viduae vasalli vitalitium, si nimirum aliis subsidiis, quibus se pro dignitate sustentare possit, destituta, denique 6) sumtus ad iusta funeri vasalli soluenda necessarios ††), quo etiam 7) referendum censeo forstrum medici

\*) Haec debita originem maxime debent iuri Neapolitano et Siciliano, quae inde Andr. de Isernia et Marth. de Afflictis repetierunt eaque ob singularem, quo ipsis nitū videbantur, fauorem iuris ex iure feudali communi defenderunt, quorum deinde auctoritate impulsi DD. iuris feud. ea generatim pro debitis feudalibus legalibus, saltem allodio deficiente, venditarunt. Horn. Iurispr. feud. Cap. 21. §. 4.

\*\*) Quae vero secundum iura quaedam feudalia specialia ad debita feud. legal. necessaria referenda (§. 23.).

\*\*\*)) Quod tamen iure feud. Sax. Elect. est debitum feud. legale necessarium (§. 23.).

†) Quod vnicum fere pro debito iuris comm. habendum ob text. I. F. 6.

††) Dissentit quidem Carpzov. Part. 2. Const. 46. Def. 36. ex ficulnea causa, quia hi sumtus sint onus personae defuncti inhaerens. Oblitus est bonus Carpzovius, sumtus funeris esse annexos oneri alimentationis, hancque vasallo ex feudo esse praestandam.



dici ob vasalli vltimum, cui succubuit, morbum. Horum debitorum causa ne minimum quidem commodum feudo accessit, ideoque successoris obligatio vnice in legis dispositione posita est. Leges sunt vel scriptae, vel consuetudinariae. Illae nuda ipsarum allegatione probantur, haec autem, nisi notoriae, toties probandae sunt, quoties ab aduersario negantur. Quicumque igitur extra legem expressam debitum vasalli legale subsidiarium aduersario id negante asserit, assertum probare tenetur †††). Deinde alia horum debitorum ratio vix dari poterit, quam miseratio, ne scil. ii, quibus debentur, et quorum credita maximam aequitatis speciem prae se ferunt, ob allodii defectum illa amittant. Inde porro sequitur, vt successori ante non incumbat eorum solutio, quam allodium plane desit; si enim allodium quidem adfit, sed satisfaciendis debitis allodialibus haud sufficiat, successor feudalis a debitis sub n. 6. et 7. simpliciter immunis est, quia haec in concursu allodiali ante alia debita et in classem primam collocantur; ad reliqua vero sub n. 1. vsque 5. eatenus tantum concurrere tenetur, quatenus ex allodio haberi nequeunt. Hinc simul, qui debitum quoddam tanquam feud. legale subsidiarium ex feudo postulat, defectum aut insufficientiam allodii debet demonstrare; alias illi obstat exceptio excussionis s. ordinis ††††).

## S. XXV.

†††) Mev. Part. 2, Dec. 124. Horn. l. c.

††††) vid. Hildebrand. Diss. de excussione allodii ante feudum. Altd. 1712. quam Respondens a Beuff Commentario ad Stryck. exam. feud. adiecit.

## D



*Debita feudalia legalia excipiunt domini eorumque, quibus in feudo competit ius suo ordine succedendi, consensu in hypothecam illorum causa in feudo constituendam munita, consensualia s. consensuata dici solita (§. 11.) quae itidem in necessaria et subsidiaria dispesci posse, supra monuimus (§. 12.).* Iam de necessariis sumus acturi. Iis secundum principia iuris, nisi aliud expresse stipulatum, quaelibet debita consensuata accensenda esse plane persuasum mihi habeo, neque communi feudistarum sententiae, qua illa tantum pro subsidiariis habent<sup>\*)</sup>, accedere possum. Suppono nimirum, creditori in feudo, sine vlla allodii ante excutiendi mentione, hypothecam esse constitutam.

Ne vero quis putet, nos temere et sine causis fat praegnantibus discedere a communi feudistarum opinione, opus est, vt rem paulo vberius explicemus. Ante omnia separemus casum, de quo a nemine Ictorum, quorum nos quidem manibus volumus libros, huc vsque dubitatum, nimirum, si creditori res est cum ipso debitore eiusue successore vniuersali tam in feudo, quam in allodio, vtique a credito-

<sup>\*)</sup> Schrader. Tr. feud. Part. 7. Cap. 7. n. 42. Modest. Pistor. Part. 3. Qu. 120. Berlich. Part. 2. Cont. 55. n. 46. Richter. Dec. 78. n. 9. 199. Struv. S. I. P. Cap. 14. §. 24. Horn iurispr. feud. C. 27. §. 2. Schiltner. Instit. iur. feud. C. 7. §. 5. Fleischer. Instit. iur. feud. C. 18. §. 23. Wolf. Elem. iur. feud. C. 14. §. 4. perill. Boechmer. Princ. iur. feud. §. 319. 320.



ditoris pendere arbitrio, vtrum ex allodio, an ex feudo solutionem malit vrgere, siue hypotheca generali in cunctis debitoris bonis, attamen in feudalibus accedente dominii directi consensu, siue generali et speciali, hacque in feudo, siue tantum hac posteriori sit munitus. Creditori enim hypotheca solum generali, ratione feudi tamen a domino consensuata, gaudenti integrum est, quameunque bonorum sibi pignoris iure obstrictorum partem ad sibi inde satisfaciendum compellare, neque hypotheca specialis generali adiecta eum hac eligendi solutionis obiecti facultate priuat, nisi forte in bonis generali affectis sicque, vt casum themati nostro magis adaptemus, in feudo iam alius creditor specialem sit consecutus \*). Nec dubium cuiquam videri poterit, vltimo casu, quo nimirum creditori tantum pignus in feudo constitutum, illi electionem competere, vtrum contra debitorem eiusue successorem vniuersalem actione personali, an hypothecaria experiri, ane vtramque, quo scil. debitore respectu actionis personalis condemnato executio fiat in feudo ipsi hypothecatum, velit cumulare. His igitur casibus debitum feudale consensuatum sine vilo dubio est debitum feudi necessarium.

§. XXVII.


Sed longe alio modo res se habet, si contra agnatum, simulue inuestitum aut ipsum feudi dominum vi eiusmodi

D 2

hy-

\*) Sic dissonantiam inter L. 2. D. qui pot. in pign. et L. 2. C. de pign. egregie tollit Wordenhof. in Diss. de concurs. et collis. hypoth. gen. et spec. §. 8. sqq. in Oelrich. Thes. nov. Vol. 1. Tom. 2. pag. 710. Vid. quoque Leyser. spec. 225, med. 5. spec. 233, med. 1. 2.





hypothecae feudalis ad solutionem ex feudo praestandam agatur, qui casus anteriore magis huius est loci, ubi praecipue de efficacia debitorum vasallo, qua successori feudali singulari, ratione feudi incumbendum agimus. Hoc scilicet casu omnes fere feudistae in eo conveniunt, quod iure feudali communi adversus successorem in feudo ante agi nequeat, quam excusso demum debitoris allodio, satque speciosam hanc huius suae sententiae rationem allegant, quia nempe consensui in feudi oppignorationem dato subit aliqua pro debitore intercessio, cuius igitur causa domino atque agnatis simultaneeve inuestitis competat ordinis scilicet excussionis beneficium \*). Attamen dissimulare nequeo, mihi quidem hanc rationem nunquam satisfecisse, saepiusque miratum esse, qui fieri potuerit, ut communi fere omnium applausu sit excepta \*\*). Stat firmissima iuris regula, rem tran-

\*) vid. DD. ad §. 25. citatos, et fere omnes.

\*\*\*) Sermo mihi est de iure feud. communi, hinc non curo leges aut consuetudines curiarum speciales contrarias, quamquam dissimulare nequeam, me quidem de consuetudinis scilicet observantiae contrariae, utpote ex errore manifesto ortae, legitimitate valde dubitare, quo refero eam, cuius defensionem suscepit Bocris. Observ. feud. 26. in Zepernick. Analect. feud. Tom. I. Observ. 67, p. 318. siquidem ipse ibi citatus Veracius proficitur, ante iuris Rom. in Germania receptionem et usum hanc, de allodio ante excutiendo, quam dominus ex hypotheca feud. possit conveniri, quaestionem nunquam esse agitatam. Inter paucos nobiscum sentientes sunt Hildebrand Diff. cit. Cap. 2. §. 9. 10. a Senckenberg, prim. lin. iur. feud. §. 284. 422. Moeller, Distinct. feudal. Cap. 21. Dist. 2. edit. nouiss. pag. 519. inque primis ornamentum ill. Regiminis Vinariensis, perill. et generos. Dominus a Koppenfels, in plena bonae fide Commentat. de pecunia mutuititia tuto collocanda §. 84. seqq.




transire in quemvis eius possessorem cum onere ipsi inhaerente, ideoque numquam ablegabimus creditorem, qui hypothecaria actione utitur contra novum rei sibi olim oppignoratae emtorem, ad venditorem, quo eum ante excutiat, quam ex iure hypothecario contra emtorem agat; hunc Potius condemnamus ad dimittendam hypothecam, simulque ad venditorem, quo illum restitutionis et indemnitatis consequendae causa conveniat, remittimus \*\*\*). Equidem nullam dissimilitudinis rationem inter hunc casum ac eum, quo dominus aut agnatus feudi successor debiti consensuati causa

D 3

con-

\*\*\*) Non nescio litem hac de re olim inter ICTos ob dubia ex Nov. 4. Cap. 2. et Nov. 112. Cap. 1. §. 3. petita acriter agitatam; sed hodie post firmissima a ICTo magni nominis Conradi in peculiari Diss. de beneficio excussionis possessori hypothecae specialis non competente. Helmst. 1747. prolata argumenta, quibus vel ipsum immortalem Wernherum, mediam inter duas extremas viam in Obs. for. Tom. 1. Part. 1. Obs. 130. et in Diss. de beneficio excussionis possessori extraneo adversus creditorem competente, Viteb. 1725. habita, eligentem hocque beneficium tantum hypothecae nexum ignoranti successori singulari concedentem, eiusque asseclas funditus profligavit, ita, ut hodie vix quisquam Doctorum, multo minus Collegium aliquod iuridicum, nisi sententiis olim receptis plus iusto inhaereat, hypothecae specialis possessori contra creditorem hypothecarie agentem beneficium excussionis sit concussurum. At, stet, si ita videbitur, Wernherianae sententia, quid inde contra nos? Ipse Wernherus, ut diximus, concedit, cessare exceptionem ordinis, si seiverit possessor, rei sibi acquisitae hypothecam inhaerere. Atqui dominus, agnati ac simul inuestiti hypothecam feudalem, quam ipsi suo consensu firmarunt, ignorare nequeunt. Ergo vel secundum ipsam Wernheri sententiam eo, quem tractamus casu, exceptio excussionis cessat.





conuenitur, rem diu multumque animo voluens inuenio. Nonne venditor principaliter tenetur ad creditori debiti hypothecati causa satisfaciendum? Quam igitur ob causam emtori denegamus exceptionem excussionis, quae ipsi prae domino feudi, agnato aut simul inuestito concedenda uideatur, quia non aequae, ut hi quidem, ad hypothecam consensu suo accessit? Certe aliam non reperio, quam istam regulam, res transit cum onere ipsi inhaerente. Cur autem eius efficaciam negligimus in definienda successoris feudalis specialis obligatione ad soluendum aes alienum feudo et quidem accedente suo ipsius consensu impositum?

#### §. XXVIII.

Nec est, quod regeras, hunc consensum tantum in subsidium, praeuia nimirum allodii excussione, esse imperitum. Aut loqueris de eo casu, quo consensus hac sub expressa conditione secutus, aut de eo, qua sine huius conditionis mentione tributus. De priori casu nobis plane non est fermo, posuimus enim, allodii ante excutiendi nullam factam esse mentionem (§. 25.) quid enim hac facta obtineat, infra proponemus. Ergo de posteriore istam subsidiariam tantum hypothecae agnitionem defensusus, eam tacite subintelligendam esse statuas necesse est. At enim uero conditio tacita tunc demum admitti potest, si ex factis commissiuis aut omissiuis tuto colligi potest. Quocumque uero consensum domini aut agnatorum simulue inuestitorum in hypothecam feudalem uertas, nuspiam eiusmodi factum



ctum offendes. Quod enim ad domini consensum, is in eo confitit, vt declarat, se ratione domini directi ratam habere validamque pronunciare hypothecam in feudi substantia constitutam: quod ad agnatos vel simul inuestitos, hi declarant, se ratione condominii vtilis hypothecam constitutam aut constituendam ratam habere, nec quicquam contra eam molituros, si ipsis aliquando successio in feudo obueniat \*). Vbi hisce in declarationibus vel vltima obligationis subsidiariae in casum successionis in feudum ipsis obuenturae? Vbi vel verbulum, ex quo eiusmodi reservatio tuto et secundum ritae consecutionis leges elici possit? Hinc ex factis commissiuis obligatio domini atque agnatorum simultaneaeque inuestitorum consentientium deduci nequit. Nunc de omissiuis dispiciamus. Hi supponunt, posito hoc facto aliquid, licet non expressum, eo vsque esse assumendum, donec constet de contraria declarantis voluntate. Necessse igitur est, vt id, quod hoc casu assumendum, vel ipsi in se negotii naturae, vel ex legis praescripto inesse praesumatur, alias enim non esset, quod contraria voluntatis declaratione elidendum. Atqui nec in domini reliquorumque consensus in hypothecam feudalem natura comprehenditur subsidiaria ista obligatio, nec ius feudale commune, eam esse subintelligendam, vllibi praecipit. Ergo ex eius renunciatione

\*) Idem Boehmerus in Diss. de hypotheca feudali expressa Cap. 2. §. 3. adaequate expressit: *Consensus tantum dirigitur ad constitutionem hypothecae, vt ipsum feudum valide hoc vinculo afficiatur, non vero in ipsum debitum, quod directo in se consentientes non suscipiunt, nec suscipere intendunt.*





ciatione s. voluntatis contrariae declaratione omiffa ad eius tacitam referuationem ne probabili quidem ratione concludere poffumus.

§. XXIX.

Forte quisquam nobis obijciat, haec quidem procedere intuitu confensus domini in hypothecam feudalem, quia fcil. hic ad eius validitatem neceffario requiritur, ideoque interceffionis ratio difficilius ipfi affingi potest: Sed longe aliter rem fe habere intuitu agnatorum fimultaneaque inueftitorum, quippe quorum confensus ad conualidandam hypothecam haud neceffarius, ideoque hunc omnino interceffionem s. fideiuffionem in cafum fucceffionis in ipfos deuoluturae inuoluere. Profitemur, specie veritatis hoc affertum non defitui; fed re penitus confiderata fententiam noftram minime cafuram confidimus. Afferere non erubefcimus, etiam agnatorum fimulque inueftitorum confenfum in hypothecam feudalem effe neceffariam: Sunt enim in condominio vtili cum vafallo oppignorante. Nouimus autem, in rei communis detrimentum infcio aut inuito condomino difponi plane non poffe. Hinc hypothecam feudalem fine agnatorum et fimul inueftitorum confenfu conftitutam nullam pronunciare nulli dubitamus. Sed probe diftinguas nullitatem abfolutam a refpectiua, quarum illa negotium quoddam plane reddit inutile, haec tantum refpectu cuiusdam perfonae ita, vt huius intuitu pro non facto habeatur, aliorum autem ratione fubfiflat. Illam fecum fert defectus confensus domini, fed ex defectu confensus agnatorum vel  
fimul





simul inuestitorum posterior tantum enascitur. Hi enim vtili quidem gaudent condominio, sine tamen eius exercitio, quippe quod soli feudi possessori competit, quam ob causam nullitas ex illorum in hypothecam feudalem consensu deficiente resultans ante non emergit, nec eius causa ante agi potest, quam successione ipsis non consentientibus delata s. vt Icti loqui amant, est ipsis ante actio nondum nata. Subsistit igitur hypotheca intuitu domini et vassalli huiusque successorum vniuersalium, vt et agnatorum simulque inuestitorum illorum, qui in hypothecae constitutionem consenserunt, illa interim pro parte, nimir. respectu eorum, quorum consensu est destituta, in nullitate perseverante. Vides itaque, omnino aliam, quam intercessionis, adesse causam consensus in hypothecam feudalem ab agnatis et simul inuestitis requirendi, vtpote quo et haec tollitur nullitas respectiua, hincque et hoc casu huius consensus naturae minime inesse subsidiariam illam obligationem.

§. XXX.

Succurrit et aliud argumentum, quocum obligatio ista subsidiaria ex consensu in hypothecam feudalem resultans subsistere nequit. Si nimirum eiusmodi consensus fideiussionem inuolueret, illius intuitu ea quoque iuris esse deberent, quae sunt iuris ratione fideiussionis. Atqui fideiussor, nisi restrictionem expresse adiecerit, ad summam, pro qua fidem suam interposuit, debitore non solente integram ex-

E

sol.





soluendam tenetur \*). Nonne igitur dominus, agnati simulque inuestiti tenerentur ad omne debitum praestandum, cuius causa in feudo hypotheca, in quam conferunt, constituta? Nihilominus DD. omnes profitentur, illos ultra feudi vires non teneri \*\*). Deinde hodie plurimi Icti in eo conueniunt, quod exorto super bonis debitoris creditorum concursu, creditor confestim contra fideiussorem agere, nec ipsi ab hoc exceptio excussionis cum effectu opponi possit \*\*\*). Cur autem nec hoc creditori feudali hypothecario conceditur †)? Inde satis constabit, istam obligationem subsidiariam ex fideiussione deduci, quatenus haec in successoris commodum vergit, sed quatenus incommoda secum fert, in eius locum obligationem substitui realem. Quis autem aequus, constans et cordatus Ictus tam informem et fraudulosam approbabit obligationem?

### §. XXXI.

Fraudulosam dico subsidiariam, quam consensui in hypothecam feudalem inesse, sibi fingunt feudistae, obligationem

\*) Struv. Synt. iur. civ. Ex. 47. §. 42. ill. Schmid. de fideiuss. plane non obligat. §. 10.

\*\*\*) Cf. Boehmeri Diss. de hypothec. feud. expr. C. 2. §. 3.

\*\*\*\*) Mev. Part. 5, Dec. 197. Brunneemann. de process. concurs. Cap. 1. §. 9. Leyser. spec. 525. med. 6. ill. Schmid. l. c. §. 224.

†) Quod in plurimis curiis feudalibus defendi ac observari, perillustris Praefes me docuit.



nem, quia contra rei veritatem et contra fideiussionis naturam, sine dubio adulationis dominorum directorum, forsan et agnatorum simulque inuestitorum studio, est adiuventa, quo nimirum illi, feudis ipsis apertis successioneue delatis, proprio consensui contrauenire et miseros creditores hypothecarios, quippe huius subtilitatis, dum pecuniam mutuo dabant, ignaros ac potius hypotheca consensu munita se satis securos bona fide habentes, ad concursus allodialis labyrinthum, sicque non raro ad Calendas graecas remitterent. Cuius rei causa hanc communem feudistarum doctrinam assentionibus ICTorum, quarum sat magnum cumulum collegit immortalis Leyserus \*), plures autem restant, accensere haud ambigo, nec possum non, quin in debitas laudes iustissimae iuris feud. Sax. Electoralis dispositionis, qua debita feudalia consensuata expresse in numerum necessariorum relata \*\*), excurram; eamque iustissimam atque communi suffragio recipiendam pronunciem, sicuti illam recentiori aetate Serenissimi Duces Vinariensis \*\*\*) , et Gothanus †), Principes in quemlibet iuris rigorem leniendum proclives, obque id suis carissimi, in terris suis expresse

E 2

rece-

\*) In Tr. de assentionibus ICTor. qui existat in Vol. XIII. Meditt. eius ad Pandect.

\*\*) Carpzov. Part. 2. Const. 46. Def. 7. Idem de onerib. vassalli feud. Dec. 2. posit. 2. Berlich. Part. 2. Concl. 56. n. 49.

\*\*\*) Quod per Mandat. spec. de anno 1782. factum, quod quia typis nondum expressum, infra damus.

†) Quod innuit dispositio in Ordinat. proc. Gothan. nov. Part. 1. Cap. 37. Art. 4. §. 16. n. 5. verb. *Hierbey wird zugleich &c.* obuia,





receperunt et iniquissimam istam obligationem subsidiariam, quippe qua fidei ac saluti vasallorum nil magis obesse ipsis- que citius iacturam feudorum exitiumque parare potest, exulare iusserunt. Quae cum ita sint,


§. XXXII.

*alia debita feudalia consensuata subsidiaria* non noui praeter ea, quae sub expressa referuatione, ne ex feudo ante alodium excussum soluantur, a domino atque agnatis simulque inuestitis sunt comprobata. Hoc enim casu est res creditoris, vtrum huic hypothecae conditionatae s. tantum in subsidium concessae fidere velit, nec ne; nihilominus fidens habeat sibi, si debitore defuncto aut bonis lapsu suum vix ac ne vix quidem, saltem difficillime consequatur.

§. XXXIII.

In casibus §§. 25. et 26. propositis supposuimus hypothecas feudales domini omniumque, quorum interest s. quibus est ius quaesitum, aliquando suo ordine in feudum hypothecatum succedendi, consensu munitas. Extra omne dubium positum est, domini consensum ad hypothecam in ipso feudo s. eius substantia constituendam necessario requiri. Nec veremur, quemquam fore obiecturum, excipienda esse feuda alienabilia, hereditaria &c. in his enim adest consensus domini antecedens isque generalis. Sed quid iuris, si agnati simulue inuestiti quidem, minime autem





tem dominus consensum in feudum hypothecandum dederint? Hic iterum in varias DD. abeunt sententias; alii, quia hypotheca sine domini consensu nulla, putant, consensum agnatorum nullius esse valoris eosque non magis teneri, ac si nunquam consensissent \*); alii contra arbitrantur, eos omnino creditori teneri ad satisfaciendum, non quidem ex feudi substantia, attamen ex eius fructibus \*\*); iterum alii distinguunt, vtrum ad solutionem expresse sese adstrinxerint, an minus, et illo quidem casu, hoc minime teneri prohibent \*\*\*). Nos quidem mediae calculum nostrum adiicimus sententiae; licet enim hypotheca in ipsa feudi substantia sine domini consensu subsistere nequeat, subsistit tamen intuitu fructuum, qui censentur iure allodii. Hinc fidem suam sine restrictione interponentes agnati sese ad debitum non simpliciter ex feudi substantia sed in genere ex feudo soluendum, ideoque etiam ad feudum eius causa quoad fructus dimittendum obligarunt; etenim ex fructibus feudi solvens soluit quoque ex feudo, neque quo fructus feudi oppignorentur atque ex iis fiat solutio, domini opus est consensu. Nec video, quae diuersitatis ratio in eo sit posita, vtrum agnatus sese ad solutionem expresse obligauerit, nec

E 3

ne?

\*) Struv. Synt. iur. feud. Cap. 13. §. 17. Cap. 14. §. 22. vbi praejudic. Facult. iurid. Ienens.

\*\*\*) Mev. part. 3. Dec. 363. n. 4. ab Esbach. ad Carpzov. P. 2. Const. 46. Def. 9. 10. Majer. Synt. iur. feud. Cap. 27. §. 2. n. 3.

\*\*\*\*) Carpzov. Part. 2. Const. 46. Def. 10. Fleischer instit. iur. feud. Cap. 13. §. 19. Hellfeld l. c. §. 445.





ne? ipſo enim conſenſu in hypothecam, fidem ſuam interponit de feudo, ſi ipſi ſucceſſio in illud obungat, ſolutionis inde percipiendæ cauſa dimittendo, adeoque ipſius conſenſui ineſt ſolutionis in caſum ſucceſſionis in eum devolutæ ſaltim ex fructibus præſtandæ promiſſio. Fruſtranea igitur eſt hæc caſuum in ſe non diuerſorum diſtinctio. Ergo agnatos ad debitum ab ipſis quidem, non autem a domino, conſenſuatum ex feudi fructibus ſoluendum teneri inque his creditori hypothecam competere autumo, cui ſententiæ plures DD. magni nominis fauent †), immo illi haud leue accedit pondus, quod præ reliquis ab Electore Sax. Io. Geörg. II. approbata et lege publica in terris Saxoniciſ Electorecepta ††). Aliter verò res ſe habet, ſi agnati declarauerint, conſenſus ſui valorem pendere a conſenſu domini ante impetrando, aut ſeſe nolle teneri villo modo, ſi domini conſenſus haud ſequatur, quippe quo caſu, conditione videlicet deficiente, nec fructuum intuitu creditori quicquam conceſſere. Cautius igitur agant agnati et ſimul inueſtiti, et conſenſum ſuum in hypothecam feudalem conſtituendam modo, quo diximus, reſtringant.

§. XXXIV.

†) Præter ſam citatos in not.\*\*) Vid. Boehmer. diſſ. de hypothec. feud. expreſſ. C. 1. §. 18. C. 2. §. 16. perill. Boehmer. Princ. iur. feud. §. 268. add. Herrn RH Raths von Braun Abhandl. ob der Verwandten Einwilligung in die Verpfändung des Lehns ohne Lehnherrliche Einwilligung einige Wirkung haben könne? in Zepernicks auſerleſener Abhandl. des Lehnrechts. Part. 2. n. 7.


††) Decif. nov. 67. Richter. Decif. 78. n. 8. Philippi Obſerv. ad Decif. 67. Obf. 1.



## §. XXXIV.

Debitis feudalibus huc vsque ad lapidem Lydium reuocatis superest, vt de eorum in concursu feudali prioritare disse- ramus, quo, quae in fronte Dissertationis promissimus, de- bito modo expleamus. Prius autem quam ad ipsam accedi- mus prioritatis determinationem, generalia quaedam prae- mittenda videntur. *Primo*, hypotheca tacita supponit le- gem, quam ob rem dicitur quoque legalis. Ius feudale commune aequae ac naturale eiusmodi leges ignorat, ius ciuile seu allodiale autem ad feuda non pertinet. Inde recte fe habet regula: In feudis exulare hypothecas tacitas. *Secundo*, minime tamen hypotheca tacita repugnat essentiali- bus feudi; admittit enim illam dominium vtile, neque tol- lit fidem vasalliticam. Hinc feuda lege positua tam scripta quam non-scripta possunt eiusmodi hypothecis onerari. Qua vero ratione hac in re procedendum, ne iura aliorum quae sita laedantur, inprimis intuitu feudorum extra curtem, in quibus simul ad iura domini territorii respiciendum, diffi- cultatibus plurimis non caret, ideoque ampliorem, quam li- mites huius dissertationis admittunt, desiderat discussio- nem, quam tamen alii tempori referuamus. *Tertio*, a qua- litate debiti feudalis ad qualitatem debiti hypothecarii feu- dalis concludere non licet, quia illa quidem huic, minime vero haec illi inest, siquidem posterior prioris speciem cen- stituit. Ergo lex debitum, alias allodiale, pro feudali aut necessario aut subsidiario declarans, illi hoc ipso non tri- buit qualitatem debiti feudalis hypothecarii, idque eo mi- nus,





nus, quo magis hypothecae tacitae sunt quidem minime contra feudorum essentiam, attamen contra eorum naturam, in dubio autem, legislatores vel partes a feudi naturalibus quam minimum recederè voluisse, praesumitur. *Quarto*, quamquam lex quaedam cuidam debito feudali hypothecam tacitam tribuat, haec tamen est simpliciter s. absque priuilegio praelationis concessa, quia hypotheca tacita sine hoc priuilegio subsistere potest ideoque ab illius concessione ad huius quoque concessionem concludere non possumus. Requiritur igitur ad hypothecam tacitam priuilegiatam, vt ipsi praelationis priuilegium expresse sit concessum s. vt legislator simul, eam quoque aliis hypothecis, aetate licet superioribus, esse praefendam, expresse declarauerit.

§. XXXV.

Iam ordinem, quo debita feudalia in sententia, quam classificatoriam dicimus, sese excipere debent, exposituri sine respectu ad ea, quae intuitu classificandorum debitorum allodialium obtinent, illum potius ex ipsa istorum debitorum natura et constitutione deducemus, quia applicatio iuris allodialis ad res feudales ante non admittenda, quam extremo loco et in subsidium, si nimirum nec ex rei feudalis natura decisio fieri possit. \*) Posito igitur, adesse debita hypotheca

\*) Vti in iure feud. communi hac de re nil definitum, ita quoque rarissime ordinationes processus speciales eius faciunt mentionem. Sic in ord. Proc. El. Sax. renou. ceteroquin multis praeferenda de ea nil habet.



hypotheca legali et quidem privilegiata nunita <sup>\*\*\*</sup>), haec primum occupant locum, vi notionis privilegii ipsis competentis. (§. 33. n. 4.) Secundo loco ponenda sunt debita consuetudina tam necessaria, quam subsidiaria omnia, ut et debita legalia siue necessaria, siue subsidiaria, et quidem necessariorum tam generalia quam specialia, absoluta et respectiva, quatenus nimirum cuidam ex legalibus hypotheca tacita simplex lege speciali tributa. <sup>\*\*\*</sup>) Quod ad ordinem inter

habetur, quam ob rem palmam illi quodammodo praeripiunt Ordinatt. proc. Gothan. vet. P. I. C. 18. §. 13. et nov. P. I. C. 37. Arr. 4. §. 15. nec non Altenburg. P. I. C. 37. §. 19. ut et Hénac. Tit. 28. §. 13. ordinem classificandorum creditorum feudalium silentes.

\*\*\*) Cuiusmodi hypotheca iur. feud. Sax. El. gaudet vxor vasalli ratione dotis illatae, cuius causa dotalitium non est constitutum et ad cuius solutionem allodium haud sufficit. Ord. Proc. Sax. El. vet. Tit. 45. §. 11. Sustulit quidem Ord. P. S. E. rec. Tit. 45. §. 6. omnes hypothecas tacitas in allodiis et feudis, sed restituit plurimas Mandat. Elect. d. 24. Sept. 1734. Eodem privilegio gaudet vxor quoque iure feud. Pomeran. Engelbrecht. l. c. §. 11.

\*\*\*\*) Huiusmodi hypotheca iure feud. Sax. Elect. concessa est filiae intuitu dotis ex feudo paterno, quatenus allodium deficit, ita, ut ante creditores hypothecarios iuniores soluenda. Ord. Proc. Sax. vet. Tit. cit. §. 13. Cuius quidem hypothecae Mandat. d. 1734. nullam facit mentionem, attamen est subintellecta. Bauer de hypoth. tac. in feud. Sax. El. ap. Zepernick, in Anal. feud. Tom. II. p. 413. De hypotheca tacita feudali subsidiaria filiorum ratione peculii adventitii, tutorum et curatorum, ut et administrator. fisci, piarum causar. et cetero minus dubitandum, quia in Mandato cit. expresse restituta.

## F





ter cuncta huius secundae classis debita observandum attinet, non est, quod illum ex iure civili repetamus, multo magis ex ipso hypothecae effectu fluere nobis videtur, antiquiorem recentiori esse praefendam. Etenim creditori hypothecario posteriori ex re alteri iam oppignorata eatenus tantum, quatenus huic antea satisfactum, salva iustitia satisfieri potest. Tertius denique locus omnibus debitis feudalibus legalibus, quae omni hypotheca, et expressa et tacita carent, eaque ratione vacat, ut pretio feudi ad omnia solvenda minus sufficiente eius partem ex debitorum primae et secundae classis solutione reliquam pro rata s. quantitate debitorum inter se participant. Nam horum debitorum creditores neque consensuali neque tacita gaudent hypotheca in feudo, ergo nudam vasalli fidem secuti sunt, quae si fallat, sibi ipsis imputent, quod negligentius egerint, nec sibi debito modo et tempore prospexerint. \*)

## §. XXXVI.

†) Aliam sententiam fovet Hellfeld. elem. feud §. 450. asserens, et haec debita secundum temporis prioritatem esse locanda. Provocat quidem ad Schrader. de feud. P. 8. Cap. 4. n. 20. Carpzov. P. 2. C. 46. Def. 32. et Lib. 4. Resp. 43. Struv. obs. feud. C. 14. n. 24. qui vero omnes hac de re silent. Rectius prouocasset ad Carpzov. de oner. vasall. Dec. vii. Pos. 9. sed hic ipse titubans tantum neque rationibus sat grauib. stipatus eandem protulit sententiam, cui igitur ob defectum tam rationum quam autoritatis fori accedere nequeo. Nec exceptionem firmat dispositio Ordin. proc. Altenb. l. c. in verb. *desgl. sollen die übrigen Lehnschulden &c.* siquidem hoc loco solum sermo est de debitis legalibus hypothecariis, quae omnino cum consensualibus aetatis habita ratione concurrunt. Difficilius dubium moueri potest ex Ord. proc. Goth.





## §. XXXVI.

Me haec exponentem offendunt quaedam dubia, quae quia et aliis occurrere possint, praeterire nolo. Quoad debita consensualia subsidiaria vix admitti posse videbitur, ea cum consensualibus necessariis pari passu ambulare, quia illa simpliciter et pure, haec autem solummodo in subsidium s. conditionate, allodio scil. deficiente s. excusso, ex feudi substantia soluenda. Sed salua res est: quod enim sub conditione promissum, hac existente s. purificata retrotrahitur ad tempus, quo promissum. Ergo allodium tempore locationis faciendae vel plane deest, seu quod idem, iam est excussum, vel minime. Ibi debitum consensuatum subsidiarium iam in necessariorum numerum transit; hic res integra seruanda, ne forte postea allodio frustra excusso creditor iure hypothecae excidat, ideoque hoc casu tam mafae feudali, quam creditori prospiciendum, aut depositione pecuniae, aut praestatione cautionis de ea, si creditor consensualis subsidiarius in concursu allodiali parum aut nihil contequatur, restituenda. Idem, quod de re integra seruanda diximus, quoque intuitu debitorum legalium subsidiariorum, si aut de illorum qualitate, an scil. sint debita feudalia? adhuc dubitatur, id quod inprimis in subsidiariis generalibus respectiuis (§. 21.) facillime accidere potest, aut

F 2

fi

Goth. vet. P. I. C. 18. §. 13. et Ilenac. Tit. 28. §. 13. vbi expresse recensentur in vltima concursus feud. classe debita feud. quae iure feud. communi feudum hypothecarie non afficiunt; sed haec sunt iuris specialis, quamquam confusioi qualitatis debiti feudalis cum qualitate debiti hypothecarii in feudo originem debere non dubitem.





si allodium eorum nomine nondum excussum, debet observari, quamquam aetatis illorum nulla ratio habeatur, ideoque, quo tempore conditio ipsis adhaerens purificata, nil plane interfit. Nec dissimulo, varios mihi movisse scrupulos debita legalia necessaria generalia s. ex versione in feudum oriunda (§. 14.) siquidem primo intuitu iniquum videbatur, massam feudalem cum damno horum creditorum reddi locupletiores, dum successor feudalis ex eadem ipsa causa, ne hoc fiat, huiusmodi debita pro feudalibus agnoscere teneatur. Sed apparens haec iniquitas evanescit, simulac consideramus, nec reliquos creditores in lucro captando versari, sed itidem de damno vitando certare, hinc nec iniquum cuidam videri poterit, nudis legalibus necessariis generalibus eos, quibus aut lege per hypothecae concessionem prospectum, aut qui sibi ipsis per hypothecam consensualem prospexerunt, praeferrere; isti enim omnino pro debitoribus feudalibus habentur seque fruuntur ea debitorum suorum qualitate, quam leges ipsis tribuunt, nec amplius quicquam postulare possunt, hi autem praeter hanc eandem debitorum suorum qualitatem quoque securitate in ipsa feudi substantia adeoque prae illis iure longe fortiori gaudent. \*)

De-

\*) Excipias tamen sumtus, qui pendente iam aut saltem imminente concursu in conservationem feudi, hinc magis in utilitatem creditorum, quam intuitu vasalli et in eius commodum imperti, quippe qui omnino extra concursum refundendi sunt, ita quoque sentiente Carpzov. de onerib. vasalli Dec. vlt. Pos. 8. quem tamen male intellexit Hellfeld. ex eius auctoritate in Elem. iur. feud. §. 45. quaecumque debita necessaria consensuatis anteponeus, quod aperte erroneum, Cf. Carpzov. l. c. Pos. 5.



Denique monere e re videtur, si id, quod per debitum legale subsidiarium in feudo melioratum, salva illius substantia e medio tolli possit atque inter successorem et creditorem de eius pretio et fide de eo habenda nondum conuentum, creditorem illud posse vindicare illudque ipsi extra concursam esse extradendum.


§. XXXVII.

Missis aliis, quae hac in materia nondum pro dignitate excussa facile occurrere possunt dubiis unicum tamen praeterire nequeo, quia me non fugit, saepius illud in curiis Principum moueri varieque resolui. Quaeritur scilicet vtrum consensus domini directi in oppignorationem feudi extra curtem iam per se valeat tanquam hypotheca iudicialis, an ad hunc valorem ipsi conciliandum quoque confirmatione domini territorialis s. iudicis ordinarii opus sit? Equidem illud affirmandum, hoc negandum esse censeo. Nemo enim in dubium vocabit, dominum feudi esse iudicem feudalem et actum, quo hypothecae in feudo constituendae mediante domini consensu validitas conciliatur, esse negotium mere feudale. Quicquid autem dominus feudi in re feudali agit hoc agit vt iudex adeoque vt persona publica. Licet igitur adfit lex expressa hypothecas priuatas intuitu rerum immobilium omni effectu destituens, haec tamen ad hypothecam feudalem consentiente domino constitutam trahi nullo modo poterit, quia haec quoque publica. Quis vnquam litteras inuestiturarum feuda extra curtem concernentium scripturis priuatis accenserebit? At quaeso, nonne do-

F 3

cumen-





cumentum domini de consensu suo in hypothecam feudalem eiusdem originis, eiusdem naturae et formae cum istis investiturarum litteris? Hinc plane non video, quid sibi velint hypothecam feudalem cum domini feudi consensu constitutam, sed a iudice ordinario s. territorii domino non confirmatam, pro hypotheca conuentionali ideoque priuata venditantes. Nonne hypotheca a iudice inferiore confirmata ex eadem ratione, quia, quicquid qua iudex competens agit, fit publice, pro publica habetur? quis vnquam praeter eius consensum quoque confirmationem Principis aut eius curiae supremae desiderauit? cur idem domino feudi in re feudali, qui huius intuitu quoque iudex competens, denegamus? Fallor, aut etiam huius rei alia non est causa, quam studium adulationis ICTor. erga Principes.

§. XXXVIII.

Tandem quoad vsuras debitorum feudalium notandum, eas non modo pendente concursu currere, sed etiam simul cum fortibus in eandem classen locandas eademque ratione in distributione massae soluendas esse, neque illas, vel in ipsa Saxoniam, orto concursu fisci, neque post omnes sortes exsolutas differri, qua in re igitur debita feudaliam quam maxime ab allodialibus differunt \*). Quod quidem intuitu quorumuis consensuatorum extra omne dubium positum, ratione legalium necessariorum vix ac ne vix quidem in dubium vocandum, sed ratione legalium subsidiariorum omnino

\*) Carpzov. P. 2. C. 46, Def. 32. Id. de onerib. vasall. Dec. vlt. Pos. 10.



nino quodammodo dubium videtur, quia proprie sunt allodialia et deficiente demum allodio ex feudo soluenda, ut igitur allodiale qualitatem quoque in concursu feudali retinere neque in hoc melioris conditionis, quam in allodiali esse videantur. Sed hocce dubium nil plane in recessu habet, simul enim ac de defectu aut insufficientia allodii constat, debitum legale subsidiarium fit necessarium ideoque eiusdem naturae cum necessariis, quare etiam eodem cum his iure frui debet. Ergo non est, quod debita legalia subsidiaria a regula excipiamus.

§. XXXIX.

Supressent omnino quam plurima perplexae huius materiae capita vberiore discussione utique dignissima, nec non longe plura ex iuribus feudalibus specialibus addi potuissent; ne vero Dissertationem scribens in Tractatum excurram, pro nunc haec sufficiant, quae si aequis rei aestimatoribus haud displiceant, quondam elucubrando integro Tractatui fundamenti loco esse poterunt.

Ad





## Ad §. XXXI.

Mandatum Ducale Saxo-Vinariense de debitis feudali-  
bus consensuatis simpliciter ex feudo solvendis d. d. 25.  
Mart. 1782.

**N**achdem SERENISSIMVS CLEMENTISSIME REGENS gnä-  
digst zu rescribiren geruht haben, das die bey dem hiesigen Fürstl.  
Lehnhoffe zeither eingeführt gewesene Observanz, nach welcher  
bey Heim- und Anfällen der Lehn, der darauf gehafteten Lehn-  
Schulden halber, zuörderst das allodium excutiret werden müssen,  
wegen der sowohl bereits ertheilten, als künftig ertheilt werdenden,  
Consense, wie hiermit geschiehet, aufgehoben seyn solle; Als wird  
solches sämtlichen Vasallen im hiesigen Fürstenthum und der Je-  
naischen Landes-Portion, welche gegenwärtigen Umlauf gehörig  
zu präsentiren haben; andurch bekannt gemacht. **Signatum**  
Weimar zur Wilhelmsburg, den 25. März. 1782.

(L. S.)

Fürstl. Sächs. Canzley das.

C. Schmid.



VD18

ULB Halle 3  
004 582 101




Sb. f











B.I.G.

Farbkarte #13

1788, 2

11

ATIO INAVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
S FEVDALIBVS  
E EXORTO CONCVRSV  
LI LOCANDORVM ORDINE.

QVAM  
ADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
ENISSIMO PRINCIPE AC  
DOMINO  
CO AVGVSTO  
IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE  
ALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE  
CHIONE MISNIAE REL. REL.  
O ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
RAESIDE  
VDOVICO ECKARDTO  
I. V. D.

DEMIAE PRORECTORE MAGNIFICO,  
RIENSI ATQVE ISENACENSI A 'CONSILII AVLAE SE-  
NICI PROFESSORE PVBLICO ORD. FACVLTATIS IVRE  
M COLLEGII ORDINARIO ET CVRIA PROVINCIALIS  
SAX. COMMVNIS ASSESSORE  
O SVMMIS  
RE HONORIBVS RITE CONSEQVENDIS  
XXI. JVL. ANN. MDCCLXXXVII.  
ERVDITORVM EXAMINI EXPONIT  
CTOR AC RESPONDENS  
NRIC. THEODOR. GELDERN  
EVRGKO - VARISCVS.

IENAE,  
FFICINA MAVCKIANA.

